



Universitätsbibliothek Paderborn

Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1710

12. Dies Decemb. Filius Dei non se exinanivit, amittens quod erat; sed accipiens, quod non erat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45477

Per Christum enim successit nostræ miseræ summa felicitas : ignominiae gloria, paupertati opulentia, calamitati beatitudo, exitio salus. Nec fortassis unquam tam altè fuissimus erecti, nisi priùs tam miserè fuissimus prostrati. O felix casus, quem talis sequitur status ! ut eum nanciscaris, ne doleas hīc te dolenda pati, cui aliquando dabitur Deo frui ? Hoc non tam dicit, quam prædictit Vates :

Hic homo torquetur, ne perpetuò crucietur.

12. DIES DECEMB.

Filius Dei non se exinanivit, amittens quod erat; sed accipiens, quod non erat. *S. Augustinus tractat. 17. in Joan.*

Christus, Deus & homo.

I. **F**'ilius Dei, cùm, quod erat, non amiserit, hoc est, naturam Dei; sed quod non erat, acceperit, hoc est, naturam hominis : liquet Christum simul fuisse Filium & Dei ante tempora, & hominis in tempore. Hujus rei veritatem probabunt SS. Patres, quorum testimonia, veritatis sunt oracula. Primus sit, cui debemus primum Ecclesiæ Doctorem, Augustinum, inquit, D. Ambrosius. (a) Legimus Primogenitum Filium, legimus Unigenitum ; Primogenitum, quia nemo ante ipsum : Unigenitum, quia nemo post ipsum. (b) Et alibi. In ipsa naturæ humana affectione Majestatem licet spectare Divinam : fatigatur ex iraнее Jesus, ut fatigatos reficiat : Petit bibere, sufficientibus potum spiritualem datus : Esurit, cibum salutis esurientibus traditus : Moritur, vivificaturus : sepelitur, resurrecturus : tremendo pendet in ligno confirmatus

Pars III.

Rrr

tre-

(a) L. I. de fide c. 6. (b) Ibid. l. 5. c. 1.

trementes : cœlum caligine obducit, ut illuminet : terras tremefacit, ut solidet : Maria conturbat, ut mitiget, reserat tumulos mortuorum, ut ostendat domicilia esse viro-
rum. Creatur ex Virgine, ut ex Deo natus esse creditur : nescire se simulat, ut scire faciat nescientes. Item Euse-
bius Gallicanus : (a) Similis mihi æqualitate substantia,
vel naturæ, sed Innocentia, ac Justitiae paritate dissimilis ;
ut de meo haberet, unde pro me solveret, & de suo, unde pe-
nitus in nullo debitor appareret. De meo ergò habuit un-
de crucifigeretur : & de suo. unde conglorificaretur : de
meo, unde caderet, de suo, unde resurgeret : de nostro ita-
que dedit peccati hostiam, de suo, indulgentia tribuit gra-
tiam.

II. Sed ut fusiùs ita & elegantiùs idem Auditor
alio loco : (b) Parvulus natus est nobis, & filius datus
est nobis. Hoc loco Propheticus sermo, Dei, & Hominis inve-
nitur expressissime naturam. Utramque enim fides Catholica
prædicat, & credit : Nam si hominem tantum dixeris
Christum, negas potentiam, quâ creatus es : si Deum tan-
tum dixeris Christum : negas Misericordiam, quâ san-
tus es. Quid ergo ? Parvulus natus est nobis, & Filius da-
tus est nobis. Natus est nobis, qui sibi erat : datus est ergo
ex Divinitate, natus ex Virgine. Natus, qui sentiret occa-
sum : datus, qui nesciret exordium. Natus, qui & Mater
effet junior : datus, quo nec Pater effet antiquior. Natus,
qui moreretur : datus, ex quo vita nasceretur. Ac sic, qui
erat, datus est, qui non erat, natus est. Illic dominatur, hic
humiliatur : sibi regnat, & mihi militat. Et paulò post:
(c) Christus inseparabilis cum Patre substantia, & ad
terrena descendit, & cœlestia non reliquit, & hic adiuit,

(a) Hom. 6. de Pasch. I. (b) Hom. 6. de Nativit. I. /
9. 6. (c) Psal. 18. 6.

& illic non defuit. Nam sicut dicit Propheta : A summo calo egressio ejus , describitur quidem eundi , & redimenti velocitas , sed discursum nescit Immensitas , quia Deus ubique totus est. Accedere ad nos Misericordia potuit : recedere à se plenitudo non potuit. Qui enim exceptit omnia , quid recedit ? Ac sic Unigenitus à Patre missus , non amissus est. Et ideo dixit Propheta : (a) Eruflavit cor meum , verbum bonum. Sicut enim ex usu prolatum hominis verbum : ita ad audientem à loquente transfertur , ut tamen in eo , de quo progreditur , corde teneatur , sicut sermo , quem loqueris , & à te exiit , & tecum est , novo , & stupendo genere & transit , & remanet , transfunditur , nec elabitur , & quod dirigitur , pervenit , & unde emititur , non recedit. Ita & Dominus Noster Iesus Christus , qui in principio erat Verbum : Deus apud Deum , ad nos prodixit , à Patre non exiit : illuc adstitit , huc processit ; ad nostra descendens , in suis remansit : sicut ad sua regrediens , nobiscum remansit. Et ad nos igitur Verbum incomprehensibile percurrit , & à Patris pectore non recessit.

III. Eadem est mens , licet alia verba S. Procli :
 (b) Venit ad salvandum , sed & pati illum oportuit. At quomodo utraque hæc fieri potuerunt ? Homo purus salvare non poterat : Deus solus pati nequibat. Quid igitur ? iste Emanuel Deus , factus est homo ; & id quidem quoderat , salvavit : quid vero factum est , subiit passiones. Idem erat in sinu Patris , & in utero Virginis. Idem detinebatur inter Matris brachia , & ferebatur super pennas ventorum. Idem ab Angelis adorabatur , & cum Publicanis mensæ accumbebat. Vix Cherubim aspicere

Rrr 2 audebant,

(a) Psal. 44, 1. (b) Hom. de Nat. Dom.

audebant, & Pilatus interrogabat. Servus colaphis cedebatur, & ipsa creatura horrebat. Crucifigebatur, & thronus gloriae non deserebatur. In sepulchro claudebatur, & calum, uti pellem extendebat. Inter mortuos reputabatur, & infernum despoliabat. Hic, ut deceptor columnis afficiebatur, ibi, ut sanctus glorificabatur. Ob signo haec omnia effato S. Augustini. (a) Christus factus est homo, qui erat Deus: accipiendo, quod non erat, non amittendo, quod erat. Ita factus est Homo - Deus. Erigat te Christus per id, quod homo est: ducat te per id, quod Deus, & homo est, perducat te ad id, quod Deus est. Tu esto humanus erga Hominem, Divinus erga Deum, & eris acceptus Homini - Deo. Nimis quam luculentè, tum suā Humanitate, tum Divinitate (ut claudam usitato penso.)

Christus monstravit, quantum te semper amavit.

13. DIES DECEMBRIS.

Puderet te fortasse imitari humilem hominem; saltem imitare humilem Deum. S. August. tract. 25. in Joan.

Christi I. merita in-
finita. **T**Ocis, velut in circo, viribus inter se certarunt, hinc hominis superbi miseria: indè humilis Dei Misericordia.

Sed non æquo Marte: nam dum humilis Deus depref- sit hominis superbiam, sustulit & miseriam: ut jam miserum esse, non sit Dei cogentis, sed hominis vo- lenti: Enim verò. (b) Quæ superbia sanari potest, si humili- tate Filii Dei non sanetur? Ait Augustinus: Puderet fortasse imitari humilem hominem, saltem imitare humilem Deum.

Quid

(a) Tract. 23. in Joan. (b) De Agon. Christi c. II.